




1000



P.M.S.

IMMORTALITAS  
DIVÆ

ANNAE MARIÆ,  
DUCISSÆ QVONDAM SAX. JUL.

CLIV. MONT. &c. &c. &c.

NATÆ DUC. MEGAPOL. &c. &c. &c.

Ad

Illustris Augustei

DNN. Inspectores, Professores ac Auditores  
in annuâ

Lectionum publicarum redaufspicatione

d. XXIII. Nov. M DC LXX.

solemniter dixit

M. CHRISTIANUS Weise/  
Polit. Eloq. & Poet. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,

Exudebat CHRISTIAN Hildebrandt.

*REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO, DOMINO*

**A U G U S T O,**  
PRIMATI GERMANIÆ, POSTU-  
LATO ADMINISTRATORI ARCHI-  
EPISCOPATUS MAGDEBURGICI, DUCI SAXO-  
NIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM, LAND-  
GRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,  
UT ET UTRIUSQ; LUSATIÆ, COMITI IN MAR-  
CA, RAVENSBERG ET BARBY, DYNASTÆ  
IN RAVENSTEIN, &c.

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.*

# PALLAS

cui

Gymnasium consecrasti nostrum,  
adeo non fuit mortalis,  
ut è TUO post mortem eripi potuerit animo.

Erexit igitur se spes nostra,  
qvæ qvidem apud Te solet esse subjectissima,  
ut,

cum EJUS memoriâ,  
antiquum vigere putemus præsidium,  
pristinam florere Clementiæ indicem.

Noli autem credere

# DOMINE

ita nos esse impudentes,  
ut TULM, qvem hactenus sentis, luctum  
intempestivâ jubilorum aut gratula-  
tionum oblatione

turbare cupiamus vel dedecorare.

Madet adhuc nostrum in pectore vulnus  
qvod callum certè prius non obducet,  
nisi

de TU A constiterit solatiorum admissione.

Nondum lacrymæ exaruerunt istæ,  
qvæ annuo nunc flumine nobis esse cœperunt  
familiares.

Qvare

si qvid in dolore aut commiseratione pietatis  
exhiberi potuit unqvm,

Id, qvæsumus, persuadeas TIBI penitus  
oblatum fuisse, vel offerre nos semper  
voluisse.

A 2

Ni-

Nimirum qvis nolit  
perpetuis EAM desideriis ac fletibus  
prosequi VIRTUTEM?

qva  
si nostrā vitā salvari  
aut annis nostris potuisset retineri,  
oqva jucundam passi fuissimus jacturam?

Tu etiam  
cum ad mœstitiæ perveneris summitatem,  
cur nos ad eadem non pertrahas  
vestigia?

Si ut lucem umbra, sic PRINCIPEM consequevi  
debent subditi?

Interim  
condona nobis latiorem istam dicendi materiam  
qva cum nostrā stare omnino potest tristitia,

Auguramur enim  
omnes ILLAM, si qva TIBI fuissent destinatæ,  
secum ab ripuisse molestias;  
SUAS vero, si qvas per longiorē vitam potuisset degustare,  
TIBI designassæ latitias.

Imo  
Qvæ procul à morte, procul à luctu versatur  
DIVA TUA CONJUX!

talem à nobis in terra cultum postulat,  
qui SUÆ, qvam in cœlo obtinuit, vita respondeat.

Proinde  
accipe devotæ subjectionis tessera,

atq;

SIC SVA VISSIMA ÆTERNUM VALEAT ANIMA!  
SIC TU SERUIS IN COELUM ADEAM REDEAS!  
non intempestiva nobis gaudia  
indulge,

Au-

## Auditores.

**E**rtia nunc absolvitur se-  
ptimana, ex qvâ in florentissimo hoc  
Collegio, publicæ lætitiae constitutus  
interpres, illius Diei festivitatem Vo-  
bis audientibus recolebam, qvi Po-  
tentissimæ per Germaniam SAXO-  
NUM Domui fuisset tam faustus,  
tam ad perennitatis spem ac fiduciam ulterius propagan-  
dam gratus & acceptus, ut ante hos annos viginti & unum,  
**AUGUSTISSIMUS Patriæ nostræ PATER** primum  
Masculi sanguinis fructum, è dulcissimo qvondam suo per-  
ciperet Conjugio, natumq; in emolumentum Posteritatis  
svavissimū **JOHANNEM ADOLPHUM** recentibus am-  
plexiteretur ulnis. Neq; tunc omni animorum aut lingua-  
rum favore me destitutum memini, ut tacitâ qvâdam ex-  
pectationis impatientiâ, hujus qvem nunc attigimus diei  
auroram s̄apè præcipitaverim, qvod sperarem fore iterum,  
ut insignem Vestrā erga me benevolentiam novis expe-  
rii liceat documentis. Nimirum hæc ea est Lux, qvæ RE-  
VERENDISSIMO ac SERENISSIMO NUTRITIO No-  
stro tantam fœnerata est lucem, ut conspicuam in littore  
Balthico **VENEREM**, dulcissimo Amoris desiderio jam-  
dum accensam, suis destinari videret amplexibus, & in ir-  
ruptâ illa animorum corporumq; unione, spem ac lætitiam  
conciperet non perfuctoriam. Proinde cum prima Illu-  
stris hujus Gymnasii jacta jam fuissent fundamenta, nihilq;  
ad consummandum ejus splendorem restare videretur am-  
plius, qvâm ut perspecta in primis cunabulis Clementia, ex-  
presso etiam pignore propria magis fieret atq; perpetua; ea  
insuper relicta solennitas est, ut consveta lectionum publi-  
carum ordinatio, eo ipso susciperetur tempore, qvod an-  
niversariam felicissimi Hujus Conjugii referret memoriam,  
omnibusq; notum redderetur ac persuasissimum, non mi-  
nor Patriæ **PATREM** curâ tangi Posteritatis in universâ

B

Pa-

Patriâ, qvàm in Excelso Suo Sangvine, & posse adeo Mu-  
sas istas, similem sibi promittere amorem, similem Con-  
stantiam, qvalem hactenus amantissima illa PRINCIPIS-  
SA feliciter usurpasset. Hoc igitur nostræ prosperitatis Pal-  
ladium, sicut aliâs in annui laboris decursu utramqve di-  
cendi fecit paginam: ita frigidam meam ingenii venam in-  
cendere nunc debuisset ac excitare, ut in aperto gratulatio-  
num argumento, apertis etiam solutionibusqve sermonis  
uterer excursionibus. Verùm, qvi dixerunt ante me, Vi-  
ri eloquentissimi, non modo solidâ eruditionis laude mul-  
tum me superant, ut cum iis nullâ ratione audeam compa-  
rari; sed ipsa qvoqve materiæ gratia, tam copioso illis tor-  
rente affluxit, qvàm ego aridum nunc & desolatum undi-  
qve invenio campum.

Qvis enim, non in nostris provinciis, sed in editissimo  
Germaniæ Europæq; tractu, tam à rerum sublimium cu-  
ra ac notitiâ est alienus, qvin tristissima auribus jamdudum  
allapsa fuerit fama? Vixisse DULCISSIMAM MAXIMI  
PRINCIPIS CONJUGEM, tot tantorumq; Liberorum  
Matrem, tot provinciarum Stellam, tot populorum De-  
cus & Præsidium, versariq; hactenus in luctu aut commi-  
serationis officio, qvicunq; antea Saxonîæ deprædicassent  
fortunas, qvod tam exquisitum Deoq; & Principi & Po-  
pulo gratissimum omnigenæ Virtutis exemplar oculis ex-  
positum haberet suis. O incertas fortunæ vices! O falla-  
ces expectationum vicissitudines! O mutabiles hominum  
horas! Ea igitur erepta nobis est, qvæ laboribus nostris o-  
ptimum afferre debebat auspicium? Ea è nostris evanuit  
oculis, in qvam primò jubebamur respicere? Quid multis?  
Ea igitur mortua est, per qvam vivere ac florere actiones  
cupiebant nostræ? Habeam⁹ itaq; nobis pulchram nostram  
festivitatem, & qvod de Argenide narrat Bacrlajus, egressâ  
Pallade, universa ejus sacra relinquantur cum, gemitu. A-  
ctum de assveta est lætitia, nec qvicqvam votis occurrit  
nostris, qvod aliquam sperandi imponat constantiam. Ubi  
est svavissimum illud Pignus, qvod illibatam PRINCIPIS  
promittebat Clementiam? Ubi est optatissima ea tessera,  
qvæ

qvæ omnem sedulitati nostræ pollicebatur Gratiam ac commendationem?

Ereptam ex oculis qværimus anxii,  
omnisque; cogitationum solertia in eo qvæsi confluit centro,  
SERENISSIMAM ANNAM MARIAM, Præsidem Nostram & Patronam, esse mortuam.

Sed qvorsum improvisus querelarum me detorquet impetus? Quos mihi sermones excutit tacita ista lugendi dolendique; voluptas? Melioribus excipiendi estis ominibus, Inspectores Gravissimi, Professores amicissimi, Auditores lectissimi, nec omnis, puto, expiravit bene sperandi occasio. Nam cur mortuam velimus dicere, qvæ ut melius vivet & qvictius è mortis excessit imperio? cur ejus absentiam doleamus, qvæ intimam in cogitationibus nostris admissionem poscit quotidie? cur periisse putemus, qvæ tot sui post se reliquit imagines? Lacrymis igitur diffluant alii, qvibus in desperatione qværitur solatum, vel qui pulchrum putant omnes benè ominandi reliquias accersito doloris flumine suffocare penitus. Exclament alii mortuam esse: nos contra, qui Ejus vitâ carere vix possumus, dicemus vivere; & ita dicemus, ut aut induratæ frontis, aut confusissimi sit animi, qvem nostra lenire vel componere nequeat oratio. Vestram autem, Auditores, cur ambire velim attentionem? cùm neminem adesse videam, qui rei tam singularis tractationem, animo mecum nolit conse-qui. Si tamen in verbis meis aliqua est asperitas, aut in sensu tenuitas, qvæ materia dignitatem non exhaustiat, ut eam apud Vos deprecari opus esse videatur, rogo etiam atque etiam, velitis, qvem auditis cum silentio, libenter audire.

Vivit igitur, æternamque; de morte victoriæ reportavit VIVA non minus qvæm DIVA ANNA MARIA. Etenim si nihil esse potest mortuum, nisi quod nostram præsentiam refugiat penitus, & ut breviter exprimam, redactum sit ad nihilum; Si etiam cum nemine conversari, ludere, garrire possumus, nisi qui vitam habeat; imo si qvem admodum major animi qvæm corporis est præstantia, ita qvæ

In animo sentitur hominum præsentia, multùm ipsa corpori conjunctione est superior, firmissimo conseqvitur argumento, & vivere & præsentem esse SERENISSIMAM NOSTRAM. Inspiciamus enim, qvi primo semper loco nobis habendus, AUGUSTISSIMUM AUGUSTUM, fractisq; paulisper modestiæ repagulis, in interiores EJUS penetrare conemur cogitationes, ut, si remanserit ibi DULCISSIMA CONJUX, si aspiciendam se singulis horis præbeat, si colloqviorum antehabitorum succinctam repetitionem instituat, si redeunte qvasi gaudiorum gustu omnium deliciarum compendiosam repræsentet memoriā, nostram solari queamus persuationem, ac profiteri audacter, adesse adhuc Gymnasii nostri præsidium ac Palladium. Ignosce verò INDULGENTISSIME PRINCEPS Tuorum pietati, in abditos TUOS sensus paulo inqvirementum liberius; nonne qvoties à gravioribus imperii curis constantissimus sese remisit animus, sepositaq; parumper concatenatorum negotiorum mole laxatiorem nanciscitur cogitandi cursum, cum TUA solum conversaris ANNA MARIA, Ejus unicè complectenis virtutes, recolis amorem, probas fidem, miraris actiones, perlustras in sobole toties repetitâ reliquias? Ah qvoties juvat teneroris ætatu-  
la induere habitum, & ad novos qvasi lusus concedere in arcem Lichtensteinensem! qvæ tām erat felix, ut furente Martis infaniâ, dulcissimam hanc optimè custodiret animam, TIBIQ; DOMINE, pleniorē innotescendi subministraret occasionem. An ulla ab Ipsâ unqvam exceperisti loquelas, eliciuisti risus, obtinuisti favores, qvorum quidem omnium distincta non occurrat recordatio, aut commoretur meditatio? Ah qvoties ad ea respicis desideria, qvæ, cum redditam SERENISSIMO PARENTI FILIAM seqvereris animo, inter tacitas pectoris speculationes sæpe solebant fluctuare, ut, qvam ex oculis scires remotam, intimiori adhuc comprehendenderes affectu, nec patereris absentia qvalem cunq; amoris particulam imminui, non sine insigni documento sufficere interdum placidam animorum

con-

conjunctionem, nec posse è vita excedere aliquando CHARISSIMAM ILLAM, qvin Ejus arctissima semper præsenta servari queat in pectore. Taceo aquas Hornhusanas, non curandis tantum infirmorum corporibus, sed impletis etiam MAGNORUM PRINCIPUM Consiliis saluberrimas, qvas profectò ita sistis TIBI, ut in præterita tempora rediisse, eorumq; commoda denuò videaris percipere. Quibus autem Amoris ac Fidei significationibus hunc præ cæteris salutas Diem, quo ante hos viginti & tres annos divinâ Sacerdotis manu, sanctissima ea firmabatur copula, ne ultrius inter impatientes spei cupiditatisq; cancellos Tua concluderentur Vota, sed ad ipsam cimelii incomparabilis possessionem tandem erumperent plenissime? Jam subridentem salutaturæ vultum; jam virgineum confitendi amoris in facie pudorem; mox quiescentem s'vaviter in tenera blandientis manu dexteram; mox fausta congratulantium vel acclamantium jubila; mox ea recolligis animo, qvæ sicut Trorum votorum amplitudinem expleverunt, ita per nimiam ingenii nostri angustiam collocari omnia non possunt. Neq; in his gaudiorum acqviescis initiis, sed quemadmodum qvos in vere conspeximus flores, in æstate ac autumno veneramur ex fructibus: ita qvoties SERENISSIMAM TUAM DOMUM aliqua auxerit PROLE, accuratissimo recenses ordine. Videris jam videre NOVAM MATREM è felici s'vavissimæ MAGDALENÆ SIBYLLÆ partu languentem, Tibi q; de impetrato Patris nomine inexplicabili lætitia gratulantem. Nunc qvasi tenellum amplectetis JOHANNEM ADOLPHUM, & prosporam Tuo ac publico nomine deprædicas PUERPERAM, qvæ tam expectatum edidisset surculum. Inde parvulū à lætabunda MATRIS manu accipere videris AUGUSTUM, mox blandulus Tibi arridet CHRISTIANUS, mox omnium ordine persequevis ita natales, ut, qvia gaudiorum semper facta est accessio, istorum qvoq; perceptio nem cum DIVA adhuc CONJUGE communicare, eiq; de prole tam copiosa, tam jucundâ videaris applaudere.

C

Qvæ

Quæ sane omnia adeò prolixæ sunt atq; diffusa, ut vel extre-  
mæ eorum linæ mentis nostræ transeant capacitatem. O  
qualis hic cogitandi se campus aperit, si TECUM, DO-  
MINE, trutinemus, quæ ad universa transigendæ vitæ per-  
tinent blanditias; quæ contentione redeuntis NATALIS  
Tui coluerit recursum; quâ sanctitate annuam CONJU-  
GII observaverit solennitatem; quâ probitate ac attentio-  
ne TE adjuverit, FILIAS curaverit, FILIOS incitaverit,  
ministros exercuerit, universam Aulam illustraverit, o-  
mnem deniq; populum in se converterit. Extraordinaria  
vero opus esset sagacitatem, ultimum illud tenerimæ Tuæ  
memoria excitabulum, quibus par est sensuum ponderibus  
assequi. Dic enim, si PATREM ac PRINCIPEM ejusmo-  
di poscere licet precibus, dic, quid tunc Tibi fuerit animi,  
cum in Nuptialibus præteriti anni splendoribus, langens  
jam & morti tantum non vicina MATER, è lecto se prori-  
peret, publicæ se pompæ admiseret, suisq; lustraret oculis  
CHARISSIMÆ FILIÆ cum DIGNISSIMO PRINCIPE  
conjunctionem, quantas & quām ominosas effuderit gra-  
tulationes, quantis lætitiae testificationibus anxium de con-  
valescentia CONJUGEM erexerit, quantā inter dubias cor-  
poris vires expectatione futurum desideraverit NEPOTU-  
LUM, quantis deniq; Voluntatis suæ indicis Sibi parenta-  
verit. Dubium profectò non est, OPTIME PRINCEPS,  
quoniam nulla prætereat dies, quo ista, & multa alia, quæ no-  
stram refugiunt notitiam, perpetuò non obversentur, aut  
obversari cupiant. Quâ igitur ratione evinci queat, esse  
mortuam, quæ Viventem ita commoveat, quæ tot cogi-  
tandi illecebras objiciat, quæ à reliquo rūm ac viventium  
contemplatione seducat, quæ inter præsentes præsentissi-  
ma, constantem in Animo tam sublimi ac immortali fixe-  
rit sedem? Oflorentissimum Gymnasium nostrum, gratu-  
lare Tibi de perpetuo felicitatis signo, nec mortuam esse  
crede, cuius in tam illustri loco æternum servatur atq; de-  
fenditur vita. Vos autem, Auditores, facile existimo con-  
jicte, quorū nūnc mea tendat oratio. Plures enim re-  
peri-

perimus Personas, qvæ ad continuandam SERENISSIMÆ  
Nostræ vitam ac in columitatem non parum contribuunt.  
Ab unâ qvidem parte SPLENDIDISSIMI se fistunt FILII,  
qvi Ejus vel in facie similitudinem, vel in animo affectum,  
vel in virtute magnitudinem, tamdiu referent, qvam diu  
concurrentes SAXONICI ac MEGAPOLITANI SAN-  
GVINIS scintillas in suis moveri augeriq; sentient pectori-  
bus: Ab alterâ verò parte propiores illas MATERNA-  
RUM LAUDUM HÆREDES ita conspicimus, ut MA-  
XIMUS PATER, qvot Earum numerat capita, toties redi-  
ditam sibi MATREM existimet: Illæ autem tantis fide fi-  
delissimam MATREM proseqvantur amoris ac observan-  
tiæ testimoniis, ut qvo magis ægritudinem adimere conci-  
tur dies, eò firmius desideratissimam mentibus inscul-  
pant imaginem, vivatq; apud Eas, qvam mortuam esse  
ex præcipiti credideramus judicio. Faxit modò Salutis  
autor & arbiter DEUS, ut qvem nunc publicis precibus ju-  
vare cupimus fœtum, sine periculo aut molestiâ ad lucis u-  
suram provehat SERENISSIMA FILIA, AVI UTRILSQ;  
incredibilis expectatio. Reliquas etiam, sive Eas morbo-  
rum hactenus indignè concusit malignitas, sive herbe-  
scens virtutum viriumq; flos plenam mox promittit perfe-  
ctionem, ita prorsus circumdet divina felicitas, ut ex in-  
faustis dolorum incursionibus eluctati, in omnigenâ bo-  
norum abundantiâ confirmati, ne vel in minimo PATER-  
NÆ persuationis omina destituant. Sic qvod olim jacti-  
tasse dicitur Philippus, se mori non posse, qvod relinqueret  
Alexandrum, meliori cum applausu è sepulchro quasi pro-  
clamabit DIVA NOSTRA, se excedere è vita non potuisse,  
qvod, non unam, ut Philippus, sui similitudinem, sed  
inscriptam vivis tot tabulis morum animiq; concinnitatē  
in omnium constituerit conspectu. Qvod si nunc ab ipsa di-  
scendam Aula, & in universâ inclytorū tam ALBERTINO-  
RUM qvâm ERNESTINORUM familiam solutores e-  
mittamus oculos, qvanta apud omnes, non dolorum mo-  
do fuerit societas, sed nunc etiam vigeat valeatq; recorda-

tio; novum nobis commodè subnascitur immortalitatis argumentum. Tu profectò, POTENTISSIME SAXONIÆ ELECTOR, licet in multashactenus animum insuperabilem divisoris curas, & mox MAXIMI in DANIA COMPATRIS acerbissimum discessum, & propter FILIUM, & propter NURUM, & propter TEIPSUM dolueris exqvisitissimè; mox accedente propius ad Tua viscera calamitate, Justa ex improviso persolveres DESIDERATISSLIMÆ FILIÆ, Cujus sanè elatus in cœlum animus, si pietatem respicias, fuit purissimus: si dicendi loqvendive favitatem, venustissimus; si conferendæ Gratia cupiditatem, benignissimus; si omnes conjunctim Virtutes incomparabilis. Tu interim nec officio tam sancto defuisti, cum EXOPTATISSLIMO FRATRI inter primos mœstia impetus, aut sopiendæ ejus aut leniendæ declarares desiderium: nec hodie Tibi similis esse desiisti, quo minus institutâ sæpius repetitione, eorum Tibi temporum sistas memoriam, ubi BEATISSIMAM HANC ANIMAM, vel in SEDE EJUS HALLENSI Adveniens lætificaveris; vel in TUA DRESDENSI Advenientem pulcherrimè exceperis; vel alibi salvam conspexisse ac in columnen gavisus fuoris. Ut adeò magnam TIBI post obitum debere videatur IMMORTALITATEM. Vos etiam SERENISSIMI FRATRES, GERMANIÆ LUMINA, SAXONIÆ NUMINA, VESTRÆ STIRPIS FAUSTISSLIMA NOMINA, Vos quantum Amori respondeatis FRATERNO, & olim ex infucatis congratulationum oblationibus, & nunc ex intimis doloris mutui apparuit significationibus. Nec qui Vestram penitus consideraverit Virtutem, sperare poterit aliter, nisi perpetua fore ista Amoris ac Concordia vincola, & proinde participem Vestræ etiam recordationis futuram NOTISSLIMAM VOBIS olim & GRATISSLIMAM ANNAM MARIAM. Vivite interim DIVINA CAPITA, nec in eam lugendi Vos necessitatem fortunæ conjiciat iniqvitas, ut ex ista, quam nunc sentimus calamitate solatii capere argumentum cogamini; sed ubi Vestram me-

inclus custodieritis felicitatem, memineritis qvoq; ideo  
Vestra Vobis à Cœlo servari DEPOSITA, ut ad exhiben-  
da FRATRI OPTIMO levamenta sufficiatis!

O qvam prolixa nunc dicendi via se aperit, si, reli-  
qvas SAXONICI NOMINIS STELLAS intueri velimus  
qva par est attentione! Ubi sine dubio vivit æternumq; vi-  
vet COGNATA SERENISSIMA. Et utè numero splen-  
dissimo, ALIQVORUM saltem designare liceat PERSO-  
NAS, qvid cogitare putemus ERNESTUM EUROPÆ  
MIRACULUM, & FRIDERICUM ERNESTO non nisi  
annis ac Filiali observantiâ minorem? nonne qyoties ad  
LECTISSIMAM NURUM, ad MELLITISSIMAM  
CONJUGEM oculorum deflectunt aciem, vcl conserva-  
tas in Ea MATRIS laudes admirantur; vel digressas in cœ-  
lum Virtutes desiderio seqvuntur; velut in futuri partus fa-  
cilitate, PUER PER Æ possit præsentiam indulgere suam,  
qvam in Nuptiali non negaverat copulatione, inanibus sæ-  
pè vovent appreceptionibus? Tu verò REGII ac ELECTO-  
RALIS SANGVINIS non postrema portio PULCHERRI-  
MA JOHANNA MAGDALENA, sicut dubium non est,  
qvin ad omnes præterlabentium horarum strepitus, cum  
TUO sis JOHANNE ADOLPHO, Eū missis per tot loco-  
rum intervalla suspiriis, vel de custodienda salute, vel de  
maturando reditu, vel deniq; de illibato Tuo Amore ad-  
moneas: Ita sanè à DULCISSIMI SPONSI nunquam re-  
cedis contemplationibus, qvo minus aliquas DIVÆ etiam  
SOCRUI tribuas meditandi reliquias, qvippe qvod EA Ti-  
bi à fortuna videbatur ostendi, qvæ AMANTISSIMÆ MA-  
TRIS levare posset desiderium.

Nunc qvis orationem improbaret meam, Auditores, si  
conversis ad Mare Balthicum exclamationibus, littora con-  
tester, fluctus, arenas, insulas, rupes; num illius adhuc  
servent tempestatis vestigia, qvę TENERAM NOSTRAM  
non minus indignè qvām violenter concusserit, cum vix a-  
liqvas extra MATRIS uterus morata menses, nescia ad-  
huc, qvem fugeret Wallensteinum, omnem salutis spem in

D

fra-

CCCLV

fragilitate navis collocatam habere, & post innumeras easq;  
vix adulto tolerandas ventorū ac pluviarū injurias, in SVE-  
CIAE DANIÆq; recessibus, qvam GERMANIA negabat,  
securitatem qvēritabat. Sed qvis in re tam seriā poëticorum  
jam ludibriorum cupiat habere rationem? Satis est dicere,  
rediisse post exhaustam fatorum rabiem SERENISSIMOS  
**ANTIQUORUM MEGAPOLITANORUM POSTE-**  
**ROS**, eamq; rursus, favente Numine, infedisse terram, cu-  
jus possessionem, non seculis, sed millenariis mensurare so-  
lent planissimè. Sic enim qvoties ad infauistas tumultuum  
respicient origines, ita in arctum concludere cogitationes  
vix poterunt, qvin & Tuam, DIVA PRINCIPISSA infan-  
tiam, & immisorum capiti Tuo periculorum magnitudi-  
nem, per occultos qvasi horroris sensus adhuc videaris  
experiri. Sic qvoties redditum sibi primæ tranqvillitatis  
intuitum, gratâ ad DEUM deprædicatione recolent, Te  
qvoq; nunquam ignorabunt eodem tempore ad primos  
negatosq; hactenus per tria lustra PATRIS amplexus, tan-  
quam feliciorem pacis nunciam venisse. Quid verbis o-  
pus est? qvamdiu stabit florebitq; SEDIS SVERINENSIS  
splendor ac felicitas, tamdiu vivi non deerunt testes NLI-  
PTIALIUM illarum SOLENNITATUM, qvæ accensa  
AUGUSTI ac ANNÆ MARIÆ pectora per auream per-  
petuò copulaverint catenam, qvam nec fortunæ, nec mor-  
tis adversitates resolvere possint ullo tempore.

Jam si in conservanda SERENISSIMÆ vita tantum la-  
boris ac meditationis exhauriunt Ipsí PRINCIPES, ini-  
qvum profecto fuerit, minorem subditis tribuere indu-  
striam. Vivit, vivit in eorum qvoq; animis, nec qvis-  
qvam adeo rerum aut est immemor, aut adversus benefi-  
cia ingratus, qvin fateatur ingenuè, HANC illam fuisse  
HEROINAM, qvæ ardenterissimis suis ad DEUM precibus  
salutem populi commendasset qvotidiè; qvæ svavissimis  
suis alloquiis naturalem PRINCIPIS Clementiam confir-  
masset, sàpè ex aliquorum voto auxisset; qvæ exquisitissi-  
mum inculpatæ vitæ exemplum, non secus ac tacitam ali-  
qvam

quam melius vivendi legem omnibus ostendisset. Qvarē  
cum hæc ita se habeant, nec omnino mortis nos terrere de-  
bent omnia, Adeste, qvoscunq; aut favor, aut officium,  
aut obsequium nostro arctius obstringit Collegio, adeste,  
& qvando in omnium animis dulcissima vivit CONJUGII  
memoria, cuius intuitu anniversarias nostras redauspicari  
lectiones iussi sumus, efficite, ut per nos qvoq; sit Viva,  
dignamq; laude HEROINAM Musa nostra vetet mori.  
Repleantur qvotannis & amplius ista auditoria exponendis  
ac deprædicandis Virtutibus, nullaq; vox his libentiū allabatur  
Parietibus, seu ut rectius loqvar, istis se insinuet au-  
ribus, quam vivere perpetuo DIVAM ANNAM MA-  
RIAM.

Qvod igitur DEUS opt. max. Sibi gloriosum, SERE-  
NISIMO NUTRITI Oprosperum, Patriæ proficuum,  
nobis omnibus salutare esse jubeat, redimus nunc ad eum  
industriæ publicæ círculum, quem per hujus anni decur-  
sum laudabiliter Collegæ absolverunt mei: Utinam, qvod  
brevi hactenus tempore præstare conatus sum, multoties  
in irrupto eorum consortio ego qvoq; possim decurrere.  
Faveat modo divina Providentia, & qvæ ingeniis manda-  
mus semina, suis ita fœcundet inspirationibus, ut laboris  
olim aliquem & fructum percipere, & rationem reddere  
possimus. Vivat natus in literarum amorem PRINCEPS  
GLORIOSISSIMUS, eamq; adversariis aut obtrectatori-  
bus nostris opponat Autoritatem, ut intelligent, rem adeo  
levem vel contemnendam non esse, quam tanto conatu,  
tantis sumptibus, tanto affectu, & ab imis excitaverit fun-  
damentis, & nunc qvoq; servet imposterum TANTUS  
PRINCEPS. Ex crescant nati in spem posteritatis FILII  
CELSISSIMI, & sicut primæ nunc expectationis trans-  
grediuntur limites, ita PATERNIS semper Virtutibus,  
qvarum ex affe sunt hæredes, Studiorum imprimis Favo-  
rem ac promotionem conjungant, atq; adeo MAXIMOS  
hujus Gymnasii PATRONOS magis magisq; multipli-  
cent! Floreat literarum istud commercium, ac vireant

universi, qvi studiis deditum hunc locum aut laudabilibus  
curis sustinent, aut benevolis commendationibus suble-  
vant, aut intimâ propensionis cuiuscunq; testificatione il-  
lustrant! Supersint qvi nostrum in melius provehant decus,  
nec deficiat disertissimi Oratoris lingva, qvæ secularem a-  
liqvando hujus Collegii memoriam nostris cum plausu de-  
prædicet posteris. Vos etiam Studiosi dilectissimi, macti  
vestrâ indole, macti vestris successibus, & dum strenuam  
literis operam impenditis, non solum cogitate vivere sem-  
per in animo SERENISSIMI vestrorum omnium curam;  
sed & perswasum habeatis certissimè, imminere nunc civi-  
tati nostræ aliam PATRIÆ MATREM, qvæ arcem illu-  
stret AUGUSTEAM, partemq; abinde radiorum Gy-  
mnasio etiam indulgeat AUGUSTEO, id qvod, ut  
brevi contingat, feliciter efficiat, qvi omnia  
potest efficere.

## D I X I.

D. M. S.

MEM. ET. HON.

DIV.

ANNÆ. MARIAE.

PRINCIPI.

MEGAP. QVOAD. NATIV. SAXON. QVOAD,  
DULCISS. AUGUST. CONNUB.

PIÆ. AMATÆ. FOECUNDÆ.

QVÆ.

NUNQVAM. PECCAVIT.

NEMINI. DISPLICUIT.

NISI. QVOD. MORTUA. EST.

VIX. AN. XLII. M. V. D. XI.

VIATOR.

QVI. FLES. TALIA. NIL. FLEAS.

posuit contra Votum

CHRIST. SCHÜLK/S. F.






Pan. Xa 4503, 4°



sb

VD 77





ANN  
DUCISSÆ  
CL  
NATÆD  
DNN. Insp  
Lectionu  
d. X.  
M. CHE  
Polit.  
Excu

